



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXVI. Gregorii Papae I. Ad Andream Scholasticvm. De
contemnendo hoc saeculo, vt caelestibus studiis vacare possit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

parum, etiam de exiguo libenter impartire. Vos itaque hæc omnia præcepta seruatis, sed pro nobis vt oretis petimus, ne laborum vestrorum fructus indiscrete, & non sicut necesse est dispensemus, ne vnde vos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, sicque vobis in terreno palatio humanam gratiam tribuat, vt post longa vos tempora ad cælestis palatii gaudia æterna perducatur. Benedictionem vero sancti Petri apostolorum principis, quem multum diligitis, clauem a sacratissimo eius corpore vobis transmifimus, in qua ferrum de catenis eius clausum est; vt quod illius collum ligauit ad martyrium, vestrum ab omnibus peccatis soluat.

EPISTOLA XXVI.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD ANDREAM SCHOLASTICVM.

De contemnendo hoc sæculo, vt cælestibus studiis vacare possit.

Gregorius Andreæ scholastico.

MAGNITVDINIS vestræ scripta suscipiens, cognita salute vestra gauisus sum, & de benignitate piissimæ domnæ, quæ erga vos suam gratiam ostendere dignata est, valde lætatus. Et quod domna * Constantina clarissima ^{al. Constantina} puella priusquam nuptias faceret ab huius mundi illecebris est erepta, vehementer exulto. Illud autem quod vos in militiam sponsi eius intrasse dixistis, & quod serenissimo domno imperatori commendari voluistis, vt vobis aliqua iniungat, vbi vos vtiles esse existimat, mentem meam non modico mœrore tetigit, quia ego bonitatem morum vestrorum ad aliud tendere semper existimaui. Multos autem noui, qui in seruitio reipublicæ positi vehementer affliguntur, quia eis non licet vacare, & peccata sua plangere, & vos quare, nescio, occupari desideratis. Cur enim, magnifice fili, non consideras, quia mundus in fine est? Omnia vrgentur quotidie: ad reddendas rationes æterno & tremendo iudici ducimur. Quid ergo aliud nisi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim nostra nauiganti est similis. Is namque qui nauigat stat, sedet, iacet, vadit: quia

impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis nostri dies aduenerit, vbi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quaritur, & cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non diuitiæ quarendæ sunt, quæ dimittuntur: sed si bona quarimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus: si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur. Hoc ipsum vero esse in obsequio piissimi principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus est timor ne hæc eadem gratia perdatur si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit aut prosperitatis desiderio fatigari, aut aduersitatis timore pauescere. Vnde magis suadeo vt magnitudo vestra in suo proposito quondam, in paucio tempore delectabili receptaculo peregrinationis viuere studeat, & quietam ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cælestia verba meditari, in aternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundum vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. Sic autem viuere, iam in aternitatis vita partem habere est. Hæc, magnifice fili, loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas & fluctus cordis tendis, verborum meorum funibus te ad litus reuoco: & si trahentem sequi volueris, quæ pericula euaseris, quæ gaudia inuenieris, in ipso quietis tuæ litore positus agnosces. Præterea gratias ago, quia me de duabus personis, quæ cum glorioso Gallitio venerunt, cautum reddere studuistis: quamuis personæ eius, quam prius magnitudo vestra nominauit, iam in malis non modicum experimentum tenemus. Sed quia mala sunt tempora, omnia cum gemitu portamus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, detque vobis & hic bene agere, & apud se in perpetuum in aterna vita gaudere.